

D: D.

MEDITATIONES SUBITANÆ  
DE  
IMPEDIMENTIS NONNULLIS  
**LINGUÆ LATINÆ  
ADDISCENDÆ,**

QUAS

*Consensu Ampl. Senat. Phil. in Reg. Acad. Aboensi,*  
PRÆSIDE,

**D. N. PETRO KALM**

Gecon. PROF. Reg. & Ord. Reg. Acad. Scient. Svec. atque  
Soc. Lit. Ups. MEMBRO,

PRO GRADU,

*Publico examini submittit*

STIPENDIARIUS WAHLIANUS

**ERICUS NYMAN,**

*Ostrobotniensis.*

Die XIX. Julii An. MDCCLXVI.

L. H. P. M. S.

---

ABOÆ, Impressit JOH. CHRISTOPH. FRENCKELL.



§. I.



Quum jam præjudicata opinio, quod lingua latina omnium difficilissima sit, singulorum fere animos occupaverit: dubitari non potest, quin illa maximo sit impedimento studio ejus. Quis enim vastissimo sese committeret mari, ubi nullus unquam expectari posset portus? quis Herculeum laborem in hanc linguam infumeret & non potius diligentiam conferret ad scientias necessarias addiscendas? Qui vero de ista difficultate verum ferre judicium vult, omnes alias linguas sibi perspectas habeat necesse est; quod tamen in hoc tam exiguo vitæ curriculo & tam brevi fieri nulla potest ratione: apparet itaque argumentum, quod inde petitur nullius plane ponderis esse. Præterea experientia constat multos brevi tempore facultatem hujus linguæ assecutos fuisse, modo rite fuerint instituti. Exempli loco nominare sufficiat Tanaquillum Fabrum, qui filium suum a decimo ætatis anno ad decimum quartum ita & Græca & latina lingua expolivit, ut cum viris certare potuisset (\*). Non miror, ait MORHOFIUS, præstare hoc in puero decenni potuisse patrem, & credo sane vel citius hoc fieri potuisse (\*\*). Hinc itaque patet, ut admodum breve temporis spatium sit, quod studium Linguae Latialis

rite

rite peractum aliis præripit Disciplinis. Tacemus magnam illam rerum copiam quæ perlectis Auctoribus Claficis comparatur. Notum enim quam quod notissimum est, scriptores latinos ea tradere, quæ ad jurisprudentiam tam naturalem, quam civilem, œconomiam, medicinam, historiam politicam & naturalem, eloquentiam denique aliasque scientias pertinent. *Quid inquit Moshemius, quod tantum abest, ut propterea damni nonnihil in ceteras artes, quibus animus imbuendus est, redundet, ut potius, quam præstantissima veterum illa monumenta sint, ingens inde commodum juvenes percipiant. (\*\*\*)*

(\*) Vid. Heineccii fund. stil. Cult. part. III. Cap. I. §. III. & Morh. polyh. part. I. Lib. 2. Cap. 9. n. 44. (\*\*) Vid. Morh. cit. lib. part. & Cap. n. vero 53. (\*\*\*) Vid. præf. Joh. Laur. Moshemii in Uberti Folietæ Tractat. de L. L. usu & præstantia.

## §. II.

Negari tamen nequit temporis plus justo jam tribui linguæ Latinæ addiscendæ. Quid igitur impedit, quominus ejus facultas celerius acquiri possit? culpam certe, qua magnam partem, transferre licet in eorum, qui juventutem erudiunt, inscitiam & negligentiam. Horum enim haud pauci hujus linguæ adeo imperiti sunt, ut ne prima quidem ejus elementa animo imbiberint, multo minus qualemcunque Linguæ genium sibi reddiderint perspectum. Nonnullos vero, qui ejusmodi ignorantia tenebris non sunt involuti, torpor quidam tenet. Quo igitur utriusque sibi consulant, discipulos per plurium annorum

feriem sola lectione grammatices memoriter recitan-  
da excruciant, quum tamen, ut ait *Gesnerus*, ad Gram-  
maticam admitti non debent, nisi qui, ex lectione & in-  
terpretatione facilium librorum, qualemcunque facultatem  
linguae uerbi & analogie assuefactione ipsa compotes facti  
sunt, quod videntur ii, qui Grammaticas Latinas, Latine  
conscriptas dedere, quas scilicet non putarent adhibitum iri  
nisi a linguae Latina utcunque peritis (\*) idque eo magis,  
quod Grammatica percipi, & ad usum applicari mi-  
nime potest, nisi perlectis Auctoribus Classicis. Per-  
versa vero ejusmodi Linguam Latinam tradendi me-  
thodus non potest non tantum discipulis adfer-  
re tedium, ut leviter solummodo attingant fontes  
Latinitatis, & praceptorum elapsi manibus penitus  
negligant hocce studium, quod primum libertatem  
naturalem illis ademit aliasque procreavit molestias  
quam maximas.

(\*) Vide ejus animad. ad Heineccii Fund. stili cult.  
Part. III. & §. 2. Ejusdem rei quoque mentionem facit, part.  
I. Cap. I. & an. §. I.

### §. III.

Nec minoris momenti est perversus ordo in le-  
gendis Auctoribus Classicis. Ut enim hi fere unica  
sunt adminicula, quibus Linguam Latinam, quam usu  
& loquendi consuetudine jam addiscere uti alias lin-  
guas vivas non licet, suam in facultatem quis in-  
vehere potest: ita plurimum refert, quo ordine per-  
volvuntur. Verus enim & genuinus sensus ex non-  
nullis Auctoribus Classicis facile erui non potest, nisi  
eo legantur ordine, ut, teste *Gesnero*, unus alicui velut  
viam

viam sternat, quo facilius intelligi, ac in succum & sanguinem verti possit (\*). Et si primum non habeatur ratio puritatis, deinde concinnitatis, postea ornatus, denique diversorum stili generum, fieri non potest, quin puris impura, concinnis dissoluta, ornatoribus incompta, stillisque aliis alii miscantur. Nonnulli vero, qui adeo delicati & infirmi sunt, ut ne unum quidem Auctorem Classicum a capite ad calcem legant, sed ea tantum eligant, quæ ad eorum mentem sunt jucundissima, siccoque transeant pede, quæ primo intuitu non percipiunt: nusquam domi, peregrini ubique sunt; menti enim minime infigi possunt, quæ sine antecedentium & consequentium notitia sunt collecta. Eodem quoque ii afficiuntur incommodo, qui ea, qua fieri potest, celeritate Auctores classicos percurrunt, & ab unius lectione momentanea, transeunt ad alium. De his ait Seneca: *Certis ingenii immorari oportet, si velis aliquid trahere, quod in animo fideliter sedeat, nusquam est, qui ubique est.* Et paulo post: *fastidientis stomachi est, multa degustare, que ubi varia sunt & diversa inquinant non atunt (\*\*).* Optimum igitur consilium dat Cælius: *Si quid sumseris semel, in eo perseveres, nec fastidio quodam, modo hoc modo illud aggrediaris. Cum cæperis Ciceronem legere, ne repente ad Livium transeas. (\*\*\*)*

(\*) Vid. ejus animad. ad Hein. Fund. stil. Cult. Part. III. Cap. 3. & §. 2. (\*\*) Epist. II, (\*\*\*) Ep. Q. Lib. II, ad Joh. Hervagium,

§. IV.

Licet vero ex his, quæ nuperrime dicta sunt luculentissime appareat lecta tam cito oblivioni ac me-

moriæ tradi, nisi accedat meditatio debita: nihilo ta-  
 men minus plerique, omiſſa omni ruminatione, con-  
 tenti ſunt qualicunq; explicatione Auctorum Clafſi-  
 corum, quam adeo ſtrictè ad Linguam Latinam ad-  
 ſtringunt, ut ne particulam quidem in explicando  
 prætereant. Quo factò nullum plane discrimen inter  
 linguam Latinam & vernaculam obſervare poſſunt;  
 verum potius hanc Latine reddunt. Idiotiſmos igitur  
 harum linguarum inter ſe diſcernere, voces & phra-  
 ſes mandare memoriæ atque ad obruſſam rationis exa-  
 minare, ſitum verborum, nexum ſingularum partium  
 periodi cujuſcunq;, totiuſque orationis perſpicere  
 minime volunt. His itaque neglectis, non mirum eſt,  
 eos quoque meditationi ſuæ ſubtrahere ea, quæ ipſas  
 Auctorum Clafſicorum virtutes, puta inventionem,  
 diſpoſitionem atque elocutionem concernunt. Et ut  
 paucis rem complectar: imitationem & puerilem &  
 virilem minime pertractant, ſine quibus tamen ge-  
 nuina Linguae Latinae indoles cognoſci & exprimi non  
 poteſt. Unde dilucidiffime patet hos ſibimet ipſis mo-  
 ras & impedimenta aſſerre, quominus Linguam ſæ-  
 piſſime citatam addiſcere queant.

§. V.

Huic linguae addiſcendæ haud parum quoque  
 obſtat perversa opinio, qua nonnulli ſibi & aliis per-  
 ſuadent nihil referre, qua ratione quis animi ſenſa  
 exprimat, barbarena id fiat, an pure & ornate, mo-  
 do cogitationes ſive ſermone ſive ſcriptis qualitercun-  
 que exprimere poteſt. Minus igitur neceſſarium eſſe  
 videtur, tempus conſumere in pervolvendis libris, un-  
de

de non tantum puritas sed etiam ornatus hauriatur. Sed quum alia vis verborum intelligi non possit, quam ut sint signa cogitationum, ipsarumque adeo rerum: per se patet verba ejus esse debere indolis, ut verus ex iis erui sensus queat. Illum vèro, qui barbaris utitur, ne quidem Oedipus intelligit, magnaque exinde sæpe oritur confusio rerum, quod verba his exprimendis minus accommodata adhibeantur. Et ne verba eo ipso momento, quo proferuntur vel leguntur animis audientium vel legentium excidant, necesse est, ut ornate & commode proponantur. Ea enim est mentis humanæ indoles, ut licet nuda eidem veritas arrideat, magis tamen in familiaritatem ejus sese insinuat, si eandem venusto orationi habitu induamus. Quin plures adeo præfractæ sunt mentis, ut ne minimam quidem attentionem orationi adhibeant, nisi verborum quasi illecebris alliciantur ad palmam rationum stimulis præbendam.

## §. VI.

Quamvis Eruditi cujuscunque gentis, qui omnia fere scripta lingua vernacula jam exarant, suis eatenus optime consulant, ut etiam inerudita plebs cognitionem rerum quam facillime acquirere possit; aliis tamen litterarum studiosis, qui minime eorum linguas callent, molestias exhibent quam maximas. Quis enim non videt his maxime necessarium esse, ut plures addiscant linguas, quibus omnibus percipiendis vita brevis minime sufficit. Et lingua Latina, quæ ab antiquis retro temporibus eruditorum fuit vernacula, tantum exinde persentit incommodum, ut penitus negli-

gligatur. Quod si tamen non fieri concedamus, negari minime potest parum admodum temporis esse, quod eidem impendi solet. Experientia enim constat plures jam reperiri litterarum cultores, qui in linguis Gallica, Italica, Anglica, Germanica aliisque adeo versati sunt, ut easdem non solum intelligant, sed etiam loqui possint, in Lingua vero Latina tantos non fecerunt progressus. Sed si dicendum quod res est: Consultissimum esset hanc omnium primo sibi familiarem reddere. Inservit enim quam maxime aliis linguis addiscendis, quibus jam carere non possumus. Ne itaque caneros eundo imitemur, a capite rem aggredi debemus.

§. VII.

Non igitur mirum solum est, sed per etiam mirum, haud aliquos tantum, at cum plurimis plurimos exercitationem scribendi, quæ, teste Cicero, *Optimus & præstantissimus dicendi eff. Etor & magister est* (\*), justo longius differre. Nulla enim lingua, quæcunque sit, sine usu & exercitatione addisci potest. Scribendum ergo quam diligentissime & quam plurimum. *Caput est, inquit Cicero, quod, (vere dicam) minime facimus, (est enim magni laboris, quem plerique refugimus) quam plurimum scribere* (\*\*). Quintiliani itaque consilium saluberrimum sequamur: *Optimus quisque, ait legendus est diligenter, & pene ad scribendi sollicitudinem* (\*\*\*) . Qui igitur bene orationem componere Latinam vult, justo tempore exercitium scribendi incipiat. Plura quidem de hac re essent dicenda, sed ob valetudinem minus prosperam hic subsistere cogor.

(\*) De Orat. lib. I. c. 33. (\*\*\*) Id. de Orat. lib. I. c. 35.  
(\*\*) Lib. X. c. I.

